

## JOANNES

## FISCAMNENSIS ABBAS.

## NOTITIA HISTORICA.

*(Gallia Christiana, nov. edit. tom. XI, pag. 207.)*

Joannes I, in partibus Ravennæ ortus ex patre Roberto, ab exilitate corporis *Joannelinus* dictus cognominatusque *d'Alte* in Catalogo Labbeano, apud Sanctum Benignum Divionensem litteris eruditus ac medicinali arte, quam ex Guillelmi abbatis mandato didicerat, ejus in primis studiosus evasit imitator, qui dilectum sibi substituit, anno 1028, licet eum alibi magis optasset præficere. Novum abbatem Robertus dux ut Fiscamnensis monasterii libertati caveret, noluit ut archiepiscopus Rothomagensis ordinaret, sed accersivit Hugonem Abrincensem episcopum, a quo Joannem Fiscamni abbatem benedicti ac sacrari fecit. Eodem abbate ordines non semel ab aliis episcopis collati sunt, archiepiscopo nequaquam reclamante, huic eidem Rogerius comes de Castro S. Pauli instaurandum commisit Blagiacense monasterium an. 1052, cui unum e suis abbatem præfecit. Ægre quidem, concessit tamen Joannes monasterium Villarde a Richardo II Fiscamnensibus olim donatum, Roberto duci locum in priorem statum restituere volenti, qui in commutationem dedit monasterium Sancti Taurini an. 1035, ejusdemque subscripsit litteris pro restauratione parthenonis Villaris. Subscripsit eodem anno fundationi monasterii Conchensis. Circa id tempus convenit cum Rainaldo, Henrici regis camerario, de potestate Villaris in pago Silvanectensi. Anno 1047 Willelmus dux Joanni restituit terram Rainaldi vicecomitis, quam pater ejus Richardus eis concesserat, et postea Joannes abbas Gozelino Heddonis filio in beneficium dederat, qui eam suis hominibus tradiderat. Aliquanto post querelam habuit cum Warino, abbate Sancti Arnulfi Metensis, occasione Benedicti, monachi olim Fiscamnensis, sed ad S. Arnulfum translati, quem Joannes abbas acribus verbis repe-

tebat. Ejus tempore Paschalis II Guillelmum archiepiscopum Rothomagensem uti pallio prohibuit, qui monachos Fiscamnenses anathematizarat, eo quod interdictum ab ipso latum in ecclesias Normanniæ non servaverant. Vide epistolas Paschalis, sancti Anselmi, et Ivonis Carnotensis. Joannes legationis munere functus in Italia, rediens in Franciam anno circiter 1050, vim passus est ab Italis ex odio gentis Normannorum qui Apuliam invaserant. Qua de re conquestus est epistola ad Leonem IX. Assumpto ad metropolim Lugdunensem Halinardo, ad regendum Benignianum monasterium accitus anno 1052, cessit anno 1056. Detectioni corporis S. Dionysii in abbatia cogaomine astitit v Idus Junii 1053. Exeunte anno 1054 transfretavit in Angliam, ut rebus monasterii sui in illo regno positis provideret, sibi que Eduardum regem propitium redderet, a quo re ipsa nonnullis beneficiis amplificatus est. Anno circiter 1058 Letzelinum, episcopum Parisiensem, ab Henrico rege Francorum ad Willelmum ducem Normanniæ, propter pacem inter eos componendam directum rogavit ut in die Resurrectionis missam celebraret in ecclesia Fiscamnensi. Quod et fecit episcopus, atque inter sacra missarum solemnia quosdam ex monachis presbyteros ordinavit. Astitit Joannes, anno 1066, dedicationi parthenonis Cadoniensis. Jerosolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, postea ad monasterium rediisse legitur in Catalogo Labbeano, ubi, biennio post, dierum plenus ac meritorum obiit anno 1078, viii Kalendas Martii, id est 1079, sepultus in sacello S. Joannis Baptistæ. Quasdam ipsius epistolas legesis apud Mabillonium *Annal. Bened.* tom. IV, pag. 381, 506 et 521, tom. V, pag. 23; *Analect.* tom. I, pag. 160 et Martenium tom. I *Anecd.*, col. 205 et seqq.